officiorum genere cum juves. Me prolixiorem [illegible]
non esse sinebant occupationes nuptiarum filiae.
Bene et feliciter vale. 17. Maij 1569.

Inscriptio

Caspar —

Clarissimo viro D. Doctori
Matthiae Stoio Medico Illu-
strissimi Ducis Borussiae amico
suo tanquam fratri.

Salutem in Christo.

167) Tuas literas, quas ex Polonia te huc missurum pro-
misisti, expectavi avidissime. Quae cum nullae adme
afferrentur, et ego te interea domum ex conventu rege-
disse non male ominarer, volui ad tuas respondere.
Miror, vestrates ita fascinatos esse, ut genus illud
hominum usque adeo ambitiose dominari, et in optimos
quosque pro sua consuetudine debacchari patiantur.
O vere miseram patriam nostram, cui, uno capite hy-
drae amputato, decem renascuntur, et quae, dum ca-
pit vitare Charybdim, in Scyllam incidit; Monstra ipsa
vita natura, et ad turbas concitandas nata, non
hoc agunt, ut consulatur gloriae Dei, et saluti Eccles-
iarum, sed ut, tumentes zelo ambitionis, et superbia,
se imperitae plebeculae venditent, et uberrimum quae-
stum aucupentur. Non credis, quam perniciosae
hic nobis cum istis farinae hypocritis sint contenti-
ones, insinuant se in animos multorum, cum magna
hypocrisi, et, quia pleraque sunt Enthusiastica, quae
profitentur, vulgarem applausum sibi conciliant et
suffragiorum multitudine ipsos imperitos nos longe
vincunt. Amplissimus Senatus noster omnia agit ~~[illegible]~~
~~[illegible]~~ [illegible]; ex ista cunctatione spem
optimam concipimus brevi aliquid futurum esse. Hoc
quicquid est, Ecclesiae non infrugiferum fore

nobis omnino persuademus. Si nos lacessere non desi-
nent, cogemur nos quoque, pro ratione nostre vocationis,
acriusque solito publice respondere, et scandala a nostris au-
ditoris profligare. Gratis multum tacuimus, injurias
dissimulavimus, et in defendendo quibusdam rebus fuimus ni-
mis faciles. Hac facilitate, qua largiter abusi sunt,
et non videntur nostrates justam severitatem adhibe-
re, facileque et procrastinatio nocet, alia via nobis
ingredienda erit, precor autem Filium Dei, ut hoc
quod agimus, ipsi sit gratum et Ecclesiae salutare. Aliquas
meas ... succinctas elaborari, ut D. Erasmo ... hinc
mittendas, tradas te oro, mea gratitudo ... in
te constabit. Quae huc adferuntur ex Gallicis omnia sunt
incerta. De quo satius est tacere, quam de incertis scribere.
Bene vale, cum conjuge et universa domo tua. Noribergae
4 Julij Ao 1589.

Mauritius Helingus.

Inscriptio

Ornatissimo viro et clarissimo viro,
virtute et eruditione praestantis-
simo D. Matthiae Stoio, Medicinae
Doctori peritissimo, fratri et amico
suo carissimo

Königsberg in Preussen.

Gratiam et pacem a Deo patre, per Jesum Christum 168)
justitiam et vitam nostram ac foelicem atque salu-
tarem annum ex animo precor: Ex animo gratulor
tibi, affinis carissime, quod filiam in matrimonio ... elo-
cas, et oro Deum O. M. per Christum, ut conjugium
sit pium, honestum, foecundum atque tranquillum, ac ut
Reipublicae ... concedat, omniaque bellorum ac seditionum
incendia exstinguat, quo quietam et tranquillam vitam
degamus in omni pietate et honestate. Gratias ago quoque,
quod me, meosque ad nuptias invitasti, sed miramur
cur tu 16. sponsus 18. diem Januarii, nuptiis dictum
scribat: Scis etiam qualia pericula nobis docentibus